

us nullo modo concurrat ad actionem rerum naturalium. Sed res naturales sic sunt institute ut nulla alia causa concurrente possint agere. Sed contra hoc obicit discipulus quia tunc deus non esset naturaliter prescius futurorum quia si voluntas hominis sit totalis causa sui actus voluntatis sine deo ergo quantumcumque voluntas diuina ponatur determinata ad unam partem adhuc poterit voluntas creata aliter velle et sic non erit certitudo in scientia dei. Item tunc deus non esset omnipotens quia potest a voluntate impediri. Non enim potest scire actum voluntatis mee esse nisi voluero.

¶ Notandum preterea quod circa actiones rerum due sunt opiniones solenes doctor subtilis in. iij. dist. xij. q. iij. tenet accidens se solo posse agere et producere quasdam formas accidentales non autem substantiales quia accidens non potest producere uniuoce formam substantialem cum sit alterius generis nec equiuoce quia causa equiuoca semper est perfectior suo effectu sed accidens non est perfectius substantia ergo non potest eam producere. Si enim inquit non omnis causa equiuoca sit perfectior tunc posset dici quod musca est perfectior deo quia non potest hoc aliter improbari nisi quia deus est causa equiuoca musce. Et similiter posset dici quod totum uniuersum est factum a musca licet sit perfectius ea. Contra suam opinionem ipse instat quia albedo est causa equiuoca sue intellectionis et tamen non est perfectius ea quia est ens spirituale. Item secundum galienum in semine est quedam virtus formatiua fetus que tamen non est nobilior fetu cum sit accidens. Item multa animalia generantur ex putrefactione que sunt nobiliora putrefactis et ipso celo quia quolibet animatum est perfectius inanimato celum autem inanimatum est. Ad ista dicit quod albedo non est causa totalis intellectionis. sed ita posset dici quod quando substantia generatur ex accidente tunc non est causa totalis sed concursus generalis dei coagit. Aliter arguitur ab eodem quia accidens separatim ut puta calor potest in aqua producere tantam caliditatem quod expellet formam substantialem aque ergo producet aliam formam substantialem quia materia non potest esse sine forma nec potest annihilari. Hic respondet vno modo quod caliditas licet quatuor est ex parte sui possit producere quolibet gradum in passo tamen hoc repugnat sibi in hoc casu ex parte passi. Et si queratur an possit producere gradum caloris impossibilem forme substantiali ipsius aqua dicit quod hoc implicat quia si talis gradus sit in aqua non est impossibile forme aque quia nichil manet sub aliquo sibi impossibile. Sed contra tunc nunquam alterans per alterationem corrumpet substantiam quia nunquam producit gradum impossibilem alterabili. Concedit illatum quia prius naturaliter non corrumpitur per aliquid posterius naturaliter sed quicquid est inductum ab alterante est posterius forma substantiali rei alterabilis ergo per nullum tale corrumpitur substantia alterabilis sed substantia solum corrumpitur a substantia. Sed contra tunc minima gutta aque non posset corrumpi a maximo calore separato si circumdaretur eo. Respondet concedendo vel dicit quod corrumpetur ab agente uniuersali scilicet celo ad quod est fuga naturalium vel si celum non sufficeret recurrendus est ad deum. nec hoc est fugere ad miraculum quia deus regulariter supplet impotentiam nature. Aliter arguitur manifestum est quod forma ignis non potest stare

cum quacumque frigiditate nec sine aliqua caliditate ponamus ergo quod non possit stare cum frigiditate ut. vi. nec sine caliditate ut. iij. tunc sic frigiditas ut x. separata per tempus continue agendo producit quemlibet gradum frigiditatis infra. vi. ergo in termino temporis forma ignis est corrupta. Item illa frigiditas est corruptiua. unius gradus caliditatis ipsius ignis ergo et cuiuslibet quia omnes gradus sunt homogenei. id est unius speciei et resistentie. Item arguit aureolus secundum philosophum generatio et alteratio sunt due mutationes habentes necessario concomitantiam. Nam impossibile est quod alteratio sit vltima quo ad terminum quin in eodem instanti sit forma substantialis et dispositio vltima semper est ab eodem a quo est forma substantialis sed ab accidente secundum se sumpto siue separato potest esse dispositio vltima ut prius patuit ergo et forma substantialis alteratio enim aliquomodo terminatur ad formam substantialem. Deinde pro solutione alterius argumenti de semine dicit Scotus in. ij. dist. xvij. quod semen cuiuscumque agentis est imperfectius eo unde non est principium actuum generationis vel vltime forme substantialis. Et si queratur a quo ergo generantur animalia uiuentia dicit quod ab angelo vel a deo. Non ab angelo quia angelus non agit nisi mediante motu celi relinquatur ergo quod a deo. Sed contra sequeretur quod equus non generaret equum nec homo generaret hominem quia quero vel pater generat quando est et hoc non oportet. Generat ergo quando est mortuus. Sed tunc non est nisi in virtute que est in semine ergo virtus que est in semine est principium actuum geniti. Item hoc videtur coincidere cum opinione maurozum et auicenne. Item caliditas producta ex reflexione radiorum solarium in speculo concauo producit formam substantialem ignis ut experientia probat et tamen non videtur aliquod agens particulare aliud concurrere igitur. Item ex forti percussione duorum lapidum generatur ignis qui non producit nisi ex vehementi motu eorum dico ergo quod accidens in virtute substantie aqua tamen est separatim potest producere substantiam sed nullum accidens virtute propria producit substantiam. Secundum patet quia nullus effectus adequatus virtuti superiori potest produci a virtute inferiori tanquam a causa totali ut patet ex ratione adaequationis sed effectus uniuocus qui est substantia est adequatus cause uniuoce que est substantia quia causa uniuoca habet pro termino adequato effectum uniuocum quia si produceret aliquod nobilius se tunc esset equiuoca. Sed omne accidens est inferius substantia ergo nulla substantia potest ab accidente virtute propria produci. Et ideo per hoc sufficienter potest probari quod deus est ens perfectissimum ut patet ex. S. T. prima. q. iij. ar. ij. ubi ait quod quicquid perfectio nis est in effectu oportet inuenire in causa effectiua vel secundum eandem rationem si sit agens uniuocum vel eminentiori modo si sit agens equiuocum. Deinde dicitur quod forma substantialis nunquam agit nisi mediantibus qualitatibus actiuis et passiuis ut dicit. S. T. iij. q. lxxvij. ar. iij. ad tertium. unde accidentia sunt quasi instrumenta ipsius substantie.

¶ Contra hec arguitur destructo priori essentialiter destruitur posterius sed esse est prius quam agere et esse accidentis est inesse ergo si accidens sit separatim ipsum nichil agit. Item actiones sunt suppositorum ut patet primo metha. sed accidens non est